



**Via Trium Dierum In Solitudinem Ad Sacrificandum  
Domino Exod. 8. Seu Triduana Ven. Cleri Solitudo Et  
Animi Collectio Deo Sacra Duce S. P. Ignatio Loyola,  
Societatis Jesu Fundatore**

**Zech, Michael**

**Ingolstadii ; Monachii ; Aug. Vindel., 1762**

2. Surgit velocissime.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60697](#)

Timothee! similem horres confusione? horre ergo & mulierem, & saltem disce firmiter stare cadente Petro: at disce simul *ad cautelam tuam*, ipsas adeo petras per unam mulierem posse non solum, ut moveantur, concuti, sed etiam, ut labantur, prosterni.

## PUNCTUM II.

*Petrus a lapsu surgit velocissime ad nostram confusionem.*

**A** Ut quid, obsecro, poterat esse velocius, dum eodem fere momento & ultimus peccantis lapsus, & pœnitentia surgentis convenere. Scripturam audi.

Petro adhuc loquente, seu peierante, continuo (nota connexionem) continuo cantavit gallus: nec frustra; nam surdo non cecinit. - Quid ultra? Nihil ultra. Et (sine ullo temporis intervallo) conversus Dominus unico Bonitatis suæ obtutu respexit Petrum. Nec plura. Et recordatus est Petrus verbi JESU, & sine omni prorsus mora egressus foras, flevit amare. \*

Nihil vel tantisper retardavit pœnitentiam

---

\* Luc. 22.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 149

tiam Petri. Idem prorsus erat: *conversus oculis Christus, & Petrus conversus corde*; \* fieri enim non potuit, ut in tenebris negationis permaneret, quem Lux mundi respexerat. Eodem igitur instanti, quo Christus Petrum respexit, Petrus a lapsu resurrexit, & de peccatis suis dolens, flevit amare, probe memor divini illius moniti: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* \*\*

Timothee! Quamdiu jam, & quoties conversus ad te Dominus realiter præsens in S. Hostia sub Missa, aut in Hierothea majore ( vulgo Monstrantia ) morali obtutu benigne te respexit? - quoties eCruce? - in sacris imaginibus? - in libris spiritualibus? in animo & intellectu tuo, luce Veritatum æternarum illuminato? - in voluntate, eandem fortis divinarum inspirationum ariete pulsans? - Imo nisi totus es cæcus, & surdus, etiamnum & continuo respicientem vides, & clamantem audis: *Ecce! sto ad ostium, & pulso. Fili! præbe mihi cor tuum.* \*\*\* Pulsans pulsat per stimulus Angeli Custodis, tuæque conscientiæ. - Pulsat fortiter per metum

K 4

mor-

---

\* S. Hieronym.    \*\* Eccli. 5.    \*\*\* Apoc.  
3. & Prov. 23.

150      *Dies III. Medit. I.*

mortis, Judicii, & Gehennæ. - Pulsat  
suaviter per promissa Cæli gaudia: per  
quotidiana corporis & animæ beneficia. -  
Ni toties, & tam fortiter pulsanti Deo  
nunc tandem aperias cor tuum: si nunc  
quoque tardes converti ad Dominum,  
*subito veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ita clarissime Deus.

Neque tamen post has Dei minas,  
blanditias, & admonitiones ad Domini-  
num converteris? - Erubesce autem, si  
quid honesti sanguinis, aut pudoris in-  
te calet. Certe tam crude triviale mendicum non repelleres a te, uti tuum  
repellis Deum. Sufficiunt ista *ad tuam*  
*confusionem* coram te, & Deo tuo.

## PUNCTUM III.

*Convertitur perfectissime ad no-  
stram Instructionem.*

**D**uo requiruntur ad perfectam pecca-  
toris conversionem: i. Ut volun-  
tas a peccatis avertatur ad Deum per  
propositum abstinendi a futuris.\* Con-  
verte ad Dominum, & relinque peccata.  
Brevius & clarius Augustinus: *Vera pœ-  
nitentia*

---

\* Eccli. 17.